

T15

Hercules furens 895-1053**La rappresentazione della follia**

Personaggi in scena

HERCULES**AMPHITRYON****MEGARA****CHORVS**

- 895 **HERCULES** Ultrice dextra fusus adverso Lycus
 terram cecidit ore; tum quisquis comes
 fuerat tyranni iacuit et poenae comes.
 Nunc sacra patri victor et superis feram
 caesisque meritas victimis aras colam.
- 900 Te te laborum socia et adiutrix precor,
 belligera Pallas, cuius in laeva ciet
 aegis feroces ore saxifico minas;
 adsit Lycurgi domitor et rubri maris,
 tectam virente cuspidem thyrsu gerens,
- 905 geminumque numen Phoebus et Phoebi soror
 (soror sagittis aptior, Phoebus lyrae)
 fraterque quisquis incolit caelum meus
 non ex noverca frater. Huc appellite
 greges opimos, quidquid Indorum seges
- 910 Arabesque odoris quidquid arboribus legunt
 conferte in aras, pinguis exundet vapor.
 Populea nostras arbor exornet comas,
 te ramus oleae fronde gentili tegat,
 Theseu; Tonantem nostra adorabit manus,
- 915 tu conditores urbis et silvestria
 trucis antra Zethi, nobilis Dircen aquae
 laremque regis advenae Tyrium coles.
 Date tura flammis. **AMPHITRYON** Nate, manantes prius
 manus cruenta caede et hostili expia.
- 920 **HE.** Utinam cruore capitis invisi deis
 libare possem: gratior nullus liquor
 tinxisset aras; victima haut ulla amplior
 potest magisque opima mactari Iovi,
 quam rex iniquus. **AM.** Finit genitor tuus
- 925 opta labores, detur aliquando otium
 quiesque fessis. **HE.** Ipse concipiam preces
 Iove meque dignas: stet suo caelum loco
 tellusque et aether; astra inoffensos agant
 aeterna cursus, alta pax gentes alat;
- 930 ferrum omne teneat ruris innocui labor
 ensesque lateant. Nulla tempestas fretum
 violenta turbet, nullus irato Iove

- exiliat ignis, nullus hiberna nive
 nutritus agros amnis eversos trahat.
- 935 Venena cessent, nulla nocituro gravis
 suco tumescat herba. Non saevi ac truces
 regnent tyranni; si quod etiamnum est scelus
 latura tellus, properet, et si quod parat
 monstrum, meum sit. – Sed quid hoc? Medium diem
- 940 cinxere tenebrae. Phoebus obscuro meat
 sine nube vultu. Quis diem retro fugat
 agitque in ortus? Unde nox atrum caput
 ignota profert? Unde tot stellae polum
 implent diurnae? Primus en noster labor
- 945 caeli refulget parte non minima leo
 iraque totus fervet et morsus parat.
 Iam rapiet aliquod sidus: ingenti minax
 stat ore et ignes efflat et rutilam iubam
 cervice iactans quidquid autumnus gravis
- 950 hiemsque gelido frigida spatio refert
 uno impetu transiliet et verni petet
 frangetque tauri colla. **AM.** Quod subitum hoc malum est?
 Quo, nate, vultus huc et huc acres refers
 acieque falsum turbida caelum vides?
- 955 **HE.** Perdomita tellus, tumida cesserunt freta,
 inferna nostros regna sensere impetus:
 immune caelum est, dignus Alcide labor.
 In alta mundi spatia sublimis ferar,
 petatur aether: astra promittit pater.
- 960 Quid, si negaret? Non capit terra Herculem
 tandemque superis reddit. En ultro vocat
 omnis deorum coetus et laxat fores,
 una vetante. Recipis et reseras polum?
 An contumacis ianuam mundi traho?
- 965 Dubitatur etiam? Vincla Saturno exuam
 contraque patris impii regnum impotens
 avum resolvam; bella Titanes parent,
 me duce furentes; saxa cum silvis feram
 rapiamque dextra plena Centauris iuga.
- 970 Iam monte gemino limitem ad superos agam:
 videat sub Ossa Pelion Chiron suum,
 in caelum Olympus tertio positus gradu
 perveniet aut mittetur. **AM.** Infandos procul
 averte sensus; pectoris sani parum
- 975 magni tamen compesce dementem impetum.
HE. Quid hoc? Gigantes arma pestiferi movent.
 Profugit umbras Tityos ac lacerum gerens
 et inane pectus quam prope a caelo stetit.
 Labat Cithaeron, alta Pallene tremit

- 980 Macetumque Tempe. Rapuit hic Pindi iuga,
hic rapuit Oeten, saevit horrendum Mimans.
Flammifera Erinys verbere excusso sonat
rogisque adustas propius ac propius sudes
in ora tendit; saeva Tisiphone, caput
- 985 serpentibus vallata, post raptum canem
portam vacantem clausit opposita face.
Sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen: invisio patri
haec dextra iam vos reddet. Excutiat levis
- 990 nervus sagittas. Tela sic mitti decet
Herculea. **AM.** Quo se caecus impegit furor?
Vastum coactis flexit arcum cornibus
pharetramque solvit, stridet emissa impetu
harundo – medio spiculum collo fugit
- 995 vulnere relicto. **HE.** Ceteram prolem eruam
omnisque latebras. Quid moror? Maius mihi
bellum Mycenis restat, ut Cyclopia
eversa manibus saxa nostris concidant.
Huc eat et illuc clava disiecto obice
- 1000 rumpatque postes; columen impulsum labet. –
Perlucet omnis regia: hic video abditum
gnatum scelesti patris. **AM.** En blandas manus
ad genua tendens voce miseranda rogat.
Scelus nefandum, triste et aspectu horridum:
- 1005 dextra precantem rapuit et circa furens
bis ter rotatum misit; ast illi caput
sonuit, cerebro tecta disperso madent. –
At misera, parvum protegens gnatum sinu,
Megara furenti similis e latebris fugit.
- 1010 **HE.** Licet Tonantis profuga condaris sinu,
petet undecumque temet haec dextra et feret.
AM. Quo misera pergis? Quam fugam aut latebras petis?
Nullus salutis Hercule infesto est locus.
Amplectere ipsum potius et blanda prece
- 1015 lenire tempta. **MEGARA** Parce iam, coniunx, precor,
agnosce Megaram. Gnatus hic vultus tuos
habitusque reddit; cernis, ut tendat manus?
HE. Teneo novercam. Sequere, da poenas mihi
iugoque pressum libera turpi Iovem;
- 1020 sed ante matrem parvulum hoc monstrum occidat.
ME. Quo tendis amens? Sanguinem fundes tuum?
AM. Pavefactus infans igneo vultu patris
perit ante vulnus, spiritum eripuit pavor.
In coniugem nunc clava libratur gravis:
- 1025 perfregit ossa, corpori trunco caput
abest nec usquam est. Cernere hoc audes, nimis

- vivax senectus? Si piget luctus, habes
mortem paratam – pectus en telo indue,
vel stipitem istum huc caede monstrorum inlitum
- 1030** converte, falsum ac nomini turpem tuo
remove parentem, ne tuae laudi obstrepat.
CHORVS Quo te ipse, senior, obvium morti ingeris?
Quo pergis amens? Profuge et obtectus late
unumque manibus aufer Herculeis scelus.
- 1035** **HE.** Bene habet, pudendi regis excisa est domus.
Tibi hunc dicatum, maximi coniunx Iovis,
gregem cecidi; vota persolvi libens
te digna, et Argos victimas alias dabit.
AM. Nondum litasti, nate: consumma sacrum.
- 1040** Stat ecce ad aras hostia, expectat manum
cervice prona; praebeo, occurro, insequor:
macta – quid hoc est? Errat acies luminum
visusque maeror hebetat? An video Herculis
manus trementes? Vultus in somnum cadit
- 1045** et fessa cervix capite summisso labat;
flexo genu iam totus ad terram ruit,
ut caesa silvis ornus aut portum mari
datura moles. Vivis an leto dedit
idem tuos qui misit ad mortem furor?
- 1050** Sopor est: reciprocos spiritus motus agit.
Detur quieti tempus, ut somno gravis
vis victa morbi pectus oppressum levat.–
Removete, famuli, tela, ne repetat furens.